Rēs Americānae:

Fābula dē Christopherō Cōlōnō

Ex flōrilegiō ā Nutting Latīnē scrīptō

cum paraphrasibus et annōtātiōnibus

ā David Ring cōnscrīptīs (DRAFT)

Capitulum I:
Christopherus Columbus Cōnsilium Capit.
A: Paraphrasis Facilior

Ōlim in oppidō certō Ītaliae puer in vītam vēnit, cui nōmen erat Columbus. Longum tempus in patris officīnā opus fēcit. Sed prope erat mare. Nāvēs ē portū ad terrās dīversās exībant. Puer saepe ad lītus ībat ad nāvēs videndās. In nāvibus erant hominēs multī. Columbus ipse mare trānsīre frēquenter voluit. Illō tempore autem pecūniam nōn habēbat. Sed posteā, cum vir esset, usque ad Britanniam et Āfricam navem ēgit. Illīs temporibus nautae timēbant mare Atlanticum. Nautae igitur cursum prope lītus tenēbant. Henrīcus autem, rēx Lūsitāniae, invenīre viam ex Āfricā ad Asiam volēbat. Aliquandō igitur nautae secundum lītus Āfricae longē nāvēs ēgerant. Certī hominēs illō tempore putābant terram esse rotundam. Columbus quoque spem habuit sē trānsīre mare Atlanticum posse. Hōc modō spem habuit sē ad Asiam pervenīre posse. Nēmō enim intellegēbat terram esse tam magnam. Columbus ipse nescīvit Americam pōnī inter Eurōpam et Asiam.

oppidum = urbs parva

in vītam venīre = lūcem accipere = vītae lumen adīre ←→ dē vītā exīre = ē vītā abīre = fīnem vītae facere = animam agere/efflāre

officīna = locus ubi homō opus manibus facit

opus = labor

prope ←→ procul

mare = ōceanus parvus

lītus = locus ubi mare terminātur et terra incipit

portus = locus in lītore unde (atque quō) navis iter facit

ad navēs videndās = quia voluit/in animō habuit navēs vidēre

ūsque ad = trāns spatium longum ad

nauta = homō quī in marī vītam agit et pīrātās timet

Lūsitānia = terra inter mare Atlanticum et Hispāniam quae nunc vocātur “Portugal”


secundum = sequentēs

B: Versiō Vēra	
Quōdam in oppidō Ītaliae ōlim nātus est puer, quī Columbus appellābātur. Diū in patris officīnā labōrāvit. Sed prope erat mare puerque saepe ad lītus ībat ut vidēret nāvēs, quae ē portū ad terrās exībant dīversās. In nāvibus erant hominēs multī et Columbus mare ipse trānsīre saepe voluit; tum autem pecūniam nūllam habēbat. Sed posteā, cum iam iuvenis esset, usque ad Britanniam et Āfricam nāvigāvit. Illīs temporibus nautae timēbant mare Atlanticum, cursumque prope lītus tenēbant. Interdum autem secundam Āfricae ōram longē nāvigātum erat, quod Henrīcus, rēx Lūsitāniae, invenīre viam volēbat, quā nāvēs circum Āfricam prōgressae, ad Asiam pervenīre possent. Quīdam tum crēdēbant terram esse rotundam Columbusque etiam spērāre coeperat sē trānsīre mare Atlanticum posse, et ita ad Asiam pervenīre; nēmō enim intellegēbat terram tam magnam esse, nec Columbus ipse suspicātus est Americam interpōnī.	**quōdam in oppidō** = in oppidō certō **nātus est** = in vītam vēnit **quī appellābātur** = cui nōmen erat **diū** = longum tempus **labōrāre** = opus facere **saepe** = frēquenter **tum** = illō tempore **iuvenis** = vir quī habet inter vigintī et quādragintā annōs **nāvigāre** = nāvem agere **interdum** = aliquandō **ōra** = lītus **nāvigātum erat** = nāvēs ēgerant **prōgressae** = itinere inceptō **quā nāvēs...possent** = ut nāvēs, qūa viā, possent **quīdam** = certī hominēs **spērāre** = spem habēre **ita** = hōc modō **suspicātus est** = suspiciōnem habuit



Capitulum II: Nāvigāre necesse est! A: Paraphrasis Facilior Dum haec facta sunt, Henrīcus rēx dē vītā exīvit. Columbus nihilōminus in Lūsitāniam iter facere coepit. Rēx novus enim in rēgnī possessiōnem veniēbat. Is igitur voluit cōnsilium suum illī explānāre. Sed rēx pecūniam dare nōlēbat. Ex Lūsitāniā igitur in Hispāniam iter fēcit. In Lūsitāniā rēx Ferdinandus et rēgīna Isabella bellum cum Maurīs faciēbant. Nēmō igitur, cum advēnit Columbus, audiēbat. Is sēnsit rēgem et rēgīnam nōlle facere ea quae spērāverat. Itaque ad Galliam versus iter facere coepit. Cum autem montēs trānsīret, nūntius secūtus est. Hic inquit, "Isabella iam vult pārāre nāvēs et tibi pecūniam dare." Hōc audītō, laetus rediit. Nautās validōs quaerēbat. Sed paene omnēs perīculum timuērunt. Cum Columbō igitur nāvigāre nolēbant. Ad ultimum ē portū exit tribus cum nāvibus parvīs. Nāvēs trēs vocābantur Pinta, Nīna, et Sāncta Marīa. Cum paucōs diēs nāvem ēgisset, ad certās īnsulās pervēnit. In hīs erant plūrimae avēs, quae pulcherrimē cantābant. Deinde per mare, quod nūllō modō nōvit, prōgressiōnem fortiter fēcit.	**Nihilōminus** ←→ quamquam, licet **rēgnum** = omnēs terrae quās rēx vel rēgīna tenet **Maurī** = hominēs Mohametānī et Africānī quī Hispāniam cēpērunt annō DCCXI post Chrīstum nātum, quōs, post victōriam Hispānōrum Granādae, ex Hispāniā ā rēge Ferdinandō expulsī sunt, annō MCDXCII. **advēnit** = ad eōs vēnit **spērāverat** = valdē voluerat **nūntius** = homō missus ad dicta vel ācta dēclāranda **secūtus est** = post Columbum vēnit **Hōc audītō** = Quam rem cum audīvisset = Postquam haec audīverat **validōs** = firmōs fortēsque **ad ultimum** = post longum tempus = tandem

B: Versiō Vēra	
Interim Henrīcus rēx mortuus erat. Columbus tamen in Lūsitāniam prōfectus est, ut rēgī tum ibi rēgnum obtinentī cōnsilium suum aperīret; sed pecūniam quam petēbat dare nōlēbat rēx. Ex Lūsitāniā igitur in Hispāniam iter fēcit Columbus; ubi rēx Ferdinandus Isabellaque bellum cum Maurīs gerēbant, nec quisquam advenam libenter audiēbat. Itaque ille, ubi cōgnōvit rēgem et rēgīnam nōlle ea facere quae spērāverat, ad Galliam versus profectus est; cum autem montēs trānsīret, nūntius est cōnsecūtus quī dīxit velle iam Isabellam pārāre nāvēs pecūniamque dare. Quā rē audītā, Columbus laetus rediit nautāsque validōs quaerere coepit; sed paene omnēs, perīculum veritī, cum eō nāvigāre nōlēbant. Postrēmō autem ē portū exiit tribus cum nāvibus parvīs; quae Pinta, Nīna, Sanctaque Marīa appellābantur. Cumque paucōs diēs nāvigāsset, ad īnsulās quāsdam pervēnit, in quibus inveniuntur plūrimae avēs, quārum cantus est pulcherrimus. Tum per īgnōtum mare fortiter prōgressus est.	**interim** = dum haec facta sunt **mortuus erat** = dē vītā exīverat **tamen** = nihilōminus **prōfectus est** = iter fēcit **ibi** = illō loco **obtinentī** = in rēgnī possessiōnem venientī **aperīret** = dēclārāret *aperīre: Sī homō oculōs aperit, vidēre potest. Sī oculōs claudit, vidēre nōn potest. Aperīre ←→ claudere **bellum gerēbant** = bellum faciēbant, administrābant **nec quisquam** = nec aliquis = nēmō **libenter** = volēns **Quā rē audītā** = Quam rem cum audīvisset **veritī** = iam timentēs **postrēmō** = ad ultimum **quāsdam** = certās **īgnōtum** ←→ nōtum



Secundum scrīptōrem histōricum, Petrum Martyrum, Columbus dīxit Fernandō et Isabellae sē Indiae īnsulās inventūrum esse, sī sibi omnēs rēs ad nāvigātiōnem pertinentēs darent. Dīxit eōs ita posse Chrīstiānam religiōnem maiōrem facere atque facile habēre cōpiam inexspectātam margarītārum arōmatumque et aurī.



Capitulum III:

Columbus ad Orbem Novum Pervenit

A: Paraphrasis Facilior

Columbus multa mīlia passum nāvigāvit. Neque terram ūllam vīdit. Nautae igitur vehementer timēre coepērunt. Multa audīverant dē nāvibus, quae longē per mare Atlanticum nāvigāverant. Nāvēs domum numquam posteā redierant. In Hispāniam igitur statim redīre volēbant, duce nōlente. Quia dux nōluit, nautae in animō habuērunt eum in mare iacere. Ad ultimum dux animōs īrātōs eōrum fēcit mītiōrēs. Quōdam diē nauta certus crēdēbat sē terram vidēre. Omnēs laetī erant. Ille autem nūbem vīderat, nōn terram. Sed paucīs post diēbus partem arboris invēnērunt atque bācās in marī natantēs. Itaque Columbus sēnsit sē iam ad terram propius venīre. Post breve tempus noctū ignem in lītore vīdērunt. Ac prīmā lūce ad īnsulam parvam pervēnērunt. Laetī in terram inīvērunt ubi paucōs manuērunt. Ab hāc īnsulā Columbus alias īnsulās adiit. Quibus in īnsulīs erat ea quae "Cūba" vocātur. Quamquam Gazās quaerēbat, eās invenīre nōn potuit. Putābat sē ad Asiam pervēnisse. Is igitur inhabitantēs eārum īnsulārum Indōs nōmināvit.

mīlia passuum = mīlia graduum = quae Anglicē vocantur "miles".

vehementer = graviter = valdē

in animō habuērunt iacere = iacere voluērunt = cōnsilium cēpērunt eum iacere = iactūrī erant

mītiōrēs ←→ ferōciōrēs

nūbes = vapor in āere concrētus, ex quō pluvia cadit

bāca = fructus arborum parvus fōrmā rotundā et frēquenter colōre rubrō

natantēs = per aquam euntēs


ignis = ūnum ex quāttuor elementīs quod paene omnia flammīs cōnsūmit ←→ āer, aqua, terra

prīmā lūce = ubi diēs coepit


Gāzae = India

***gāza** = vocābulum Persicum quod significat "thesaurus, dīvitiae, pecūnia, bona fortūnaeque"

B: Versiō Vēra	
Cum multa mīlia passuum Columbus nāvigāsset neque terram vīdisset ūllam, nautae vehementer timēre coepērunt, quod multa audīverant dē nāvibus, quae longē per mare Atlanticum prōgressae domum numquam posteā redierant; in Hispāniam igitur statim redīre volēbant, dux tamen nōluit. Quārē illī prīmō habuērunt in animō Columbum etiam in mare iacere; postrēmō autem eōrum animi īrātī ā duce mītigātī sunt. Ōlim nauta quīdam crēdēbat sē terram vidēre, et omnēs gaudēbant; nūbem autem vīderat ille, nōn terram. Sed paucīs post diēbus rāmum invenērunt et bācās in marī nātantēs, ac Columbus sēnsit sē iam terrae appropinquāre. Mox noctū ignem quoque in lītore vīdērunt, ac māne ad īnsulam pervēnērunt parvam, ubi laetī in harēnam ēgressī paucōs diēs morātī sunt. Inde profectus, Columbus aliās quoque īnsulās adiit, in quibus erat ea quae Cūba appellātur. Gazās tamen invenīre nōn potuit, quās quaerēbat. Putābat enim sē iam ad Asiam pervēnisse; quārē incolās eārum īnsulārum, quās adierat, Indōs appellāvit.	**prōgressae** = postquam prōgressiōnem fēcerant = itinere in mare Atlanticum inceptō **statim** = sine morā = nūllā morā interpositā **quārē** = quia dux nōluit **postrēmō** = ad ultimum **mītigātī sunt** = mītiōrēs factī sunt **gaudēbant** = laetī erant = cum gaudiō mōtī sunt **rāmus** = pars arboris quae fōlia habet **appropinquāre** = propius venire **māne** = prīmā lūce **harēna** = terra quae invenītur in lītoribus et dēsertīs **ēgressī** = ubi exīverant **morātī sunt** = manuērunt **inde profectus** = itinere ab hāc īnsulā inceptō **appellāre** = nōmināre **incola** = quī locum inhabitat



Nēmō intellegēbat terram tam magnam esse, nec Columbus ipse suspicātus est Americam interpōnī.



Capitulum IV:

Ad Fīnem

A: Paraphrasis Facilior

Indī Columbam amābant. Isque ad Hispāniam reditūrus erat. In īnsulā quādam colōniam parvam relīquit. Colōnī tamen mox iniūriās Indīs fēcērunt. Brevī tempore colōnī omnēs Indōs – ad ūnum – mortem dedērunt.

Dum haec aguntur, Columbus ipse domum celeriter redībat. Laetus per mare nāvigābat. Subitō autem tempestās maxima commōta est. Nāvēs fluctibus paene complētae sunt. Tum ille scrīpsit litterās. Quās litterās in vāsia vīnāria reposuit et in mare iēcit. Crēdēbat enim nūllam iam esse spem. Putābatque vāsia vīnāria posse ad lītus ventīs ferrī. Ita putābat cīvēs suōs certiōrēs fiērī dē eīs īnsulīs inventīs. Sed nāvēs maris violentiam tulērunt. Deinde Columbus in Hispāniam salvus pervēnit. Rēx et rēgīna laetī erant propter rēs gestās eius. Eum fēcērunt īnsulārum ducem.

Posteā Columbus ad Americam semel atque iterum nāvigāvit. Rem autem nōn bene ēgit. Pauper postrēmō ē vītā abiit. Etiam tum crēdēbat terrās inventās esse partem Asiae.

tamen = nihilōminus

iniūriās = ācta iniūsta = ācta contrā iūstitiam

ad ūnum = omnēs singulōs = nūllō exceptō = ūnum quemque

tempestās…commōta est = tempestās surrēxit

fluctus = unda = id quod ex aequō surgit et crēscit et quō mare in nāvēs impetum facit

vās vīnārium = receptāculum ad vīnum cōnservandum

spēs = rēs bonās quās homō putat futūrās esse et laetē exspectat

ventus = vīs āeris quae flat

certiōrēs fiērī = cognōscere = discere

salvus = integer, tūtus, intactus

rēs gestās = ācta mīrābilia

rem…ēgit = rem male administrāvit

pauper = quī satis pecūniae nōn habet ←→ dīves = opulentus = pecūniōsus

B: Versiō Vēra	
Indī Columbum amābant; isque, cum ad Hispāniam reditūrus esset, in īnsulā quādam Colōniam parvam relīquit. Colōnī tamen iniūriās mox Indīs fēcērunt ac brevī ad ūnum ab eīs interfectī sunt. Interim Columbus ipse domum properābat; subitō autem cum laetus per mare nāvigāret, tempestāte maximā coortā, nāvēs fluctibus paene complētae sunt. Tum ille scrīpsit litterās, quās in dōlia conditās in mare iēcit; crēdēbat enim nūllam iam esse spem, putābatque dōlia posse ad lītus ventīs ferrī, cīvēsque suōs ita certiōrēs fiērī dē eīs īnsulīs, quās ipse invēnerat. Sed maris violentiam nāvēs sustinuērunt, et Columbus in Hispāniam incolumis pervēnit, ubi rēx et rēgīna eius rebus gestīs gaudēbant, eumque fēcērunt īnsulārum praefectum. Posteā ad Americam Columbus semel atque iterum nāvigāvit. Rem autem haud fēlīciter gessit, inopsque postrēmō mortuus est. Etiam tum terrās, quās invēnerat, Asiae partem esse crēdēbat.	**interfectī sunt** = ad mortem ductī sunt ***interficere** = alicui mortem dare = aliquem ad mortem dūcere **properābat** = celeriter ībat **tempestāte…coortā** = tempestāte commōtā ***coorīrī** +/- = surgere **dōlium** = vās vīnārium **conditās** = repositās ***condere** hīc = repōnere rem in locum aliquem ad rem cōnservandum **sustinuērunt** = tulērunt ***sustinēre** = sub + tenēre = ferre, repellere **incolumis** = salvus **rebus gestīs gaudēbant** = propter rēs gestās laetī erant **praefectum** +/- = ducem **haud…gessit** = male ēgit **inops** = pauper